



Kern 3490 C 1-16)

347

8

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,  
DE  
**SALIVATIONIS  
VALORE CRITICO.**

---

Q V A M  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
PRAESIDE  
**PHIL. FRID. THEODOR.  
MECKEL,**

MED. DOCTOR. ET PROF. PVBL. ORDIN.,  
INSTITVT. CLIN. CHIRVRG. DIRECTORE,

PRO  
**GRADV DOCTORIS MEDICINAE  
LEGITIME OBTINENDO  
DIE XVI. DECEMBR. MDCCXCIII.**

PVBLINE DEFENDET

H. L. C.

**S A L O M O W O L F F  
HALENSIS.**

---

HALAE,  
TYPIS IO. CHRISTIAN. HENDELII.



DIESER TATIS INAGARVIS MEDIC

GAZATATIONIS  
ALERE CRITICIS

DR. RIB. THEODOOR  
MEGEREL

M. DOCTORIS MEDICIS  
FESTIMA. ORTINNO  
P. KAR. BECKER. MEDICOIS

PARTIC. DEDICAT.

PROLOGUE.

PROLOGUE.

PROLOGUE.

PROLOGUE.

PROLOGUE.

PROLOGUE.

---

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE

SALIVATIONIS VALORE  
CRITICO.

---

§. I.

*Mutationes criticæ sensu latiori* omnes dicuntur, quas inter et solutionem morborum (sive faustam sive infelicem) nexus quidam intercedit propior atque cauſſalis. *Strictiori* autem sensu ad naturam, in aegri *salutem* has iliasve mutationes molientem, respiciunt.

Mutationibus his criticis (ſaepiffime internis nec ullo sensu medici proxime percipiendis) nixa sunt quaedam phoenomena, ab ipsis mutationibus criticis distinguenda et nomine *syptomatum criticorum* celebranda.

A 2

§. II.



## §. II.

Iam vero mutationum, quas dixi, critica-  
rum non una est ratio ad aegri salutem. Ob-  
servare potius et sedulo distinguere oportet me-  
dicum artificem: an vere faciant ad aegri salu-  
tem nec ne? si *hoc*, quae sint impedimento?  
si *illud*, quo gradu et qua ratione aegri salu-  
tem promovere possint? Hinc igitur, ut pau-  
cis verbis plura complectantur, diuersum hunc  
mutationum, quae criticae dicuntur, nexum,  
quippe qui aegri salutem et ipsas mutationes, de  
quibus sermo est, criticas intercedit, *valorem*  
*criticum* recte dixerunt recentiores. Is *symp-*  
*tomatibus* criticis, si stricte loqui velis, nullus  
inest, nisi eo respectu eundem tribuere placeat,  
quo signis, quae in sensu cadunt, adscribere  
omnia licet, quae signandis competit, a signis  
non separandis.

Vt vero magis eluceat, quam diversa ra-  
tione mutationes, quae sensu latiori dicuntur  
criticae, ad aegri salutem faciant: in memo-  
riam revocare sufficiat: *modo* has ipsas muta-  
tiones



tiones salutares esse (uti vomitum, qui materiem morbificam expellit) atque in hoc casu vel omnem aegritudinem solvere vel has certe illasve eiusdem partes; *modo* caussas tantummodo sistere, aliis iisque demum salutaribus mutationibus inducendis idoneas (uti vomitum, qui systematis vasorum absorbentium actionem promovendo in aegri salutem cedit); *modo* denique non nisi simili vel eodem tempore contingere, quo alii, iisque vere salutares naturae motus eveniunt.

### §. III.

*Valorem* quem dixi *criticum* circa omnes excretiones, metastases aliave naturae in aegri salutem vergentis conamina bene cognitum habere oportet medicum artificem. Quod quidem fuisus demonstrare, huius loci non est. Sed pauca quaedam – urgente hac scribendi necessitate – animadvertere liceat, quae in diiudicando *salivationis* valore critico negligenda non sunt.

### §. IV.



Futuram salvationem criticam praevidere haud facile licet. Facilius est praesentem eamque vere salutarem cognoscere. Nihilominus tamen propter res quae circumstant passim concludere datum est, hac forte via aegri salutem obtineri posse. Faciunt *huc primum* morbi qui praetexto sunt, ita nempe comparati, ut salvatione solvi posse intelligatur. Cuius quidem generis quales sint morbi, paulo inferius exponam. *Deinde* vocanda sunt in auxilium congestionis ad organa saliva symptomata; quibus eo magis tribuendum aliquid est, quo minus haemorrhagiam narium exspectare licet propter res quae circumstant. Intumescunt subinde glandulae colli; observantur dolores praevii iuxta aures, in regione colli, ad nucham, sive in ore interno; deglutitio passim molesta est et subdolorifica, respiratio subinde anhelosa, facies tumida; genae et labia magis rubicunda; quaeque sunt alia versus caput congestionis symptomata.

In scriptis medicorum salivationis criticae  
 longe frequentissime mentionem fieri observa-  
 bis. Sed faciunt frequentius, quam quidem  
 id licet propter ipsam rei naturam. Id, quod  
 recte monere posse mihi videor, habito nempe  
 respectu ad ea, quae nunc dicam, momenta.  
**Primum** nempe huc referuntur aegritudines,  
 quae huius loci plane non sunt. Sive enim  
 humores longe alius generis (non vero saliva)  
 ex ore reiiciebantur, sive salivatio tantummodo  
 fuit symptoma criticum, non nisi eodem tempo-  
 re contingens, quo alia eaque vere salutaris  
 corporis mutatio evenit. Ita verbi gratia Cl.  
 B A G G E R hydropem per linguam effluxu solvi  
 vidi; quem quidem casum ad salivationem cri-  
 ticam referre neutiquam licet. Relatum hue  
 observabis in Onomatologiae practicae par-  
 te IV. pag. 248. N. 26., et alibi similia. —  
**Secundo** loco monendum hic est: salivationis  
 criticae exempla ideo perperam multiplicari ab  
 auctoribus, quod non nisi symptomatum sive  
 etiam morborum, quos speciales habent, et  
 quibus

quibus nexa fuit salivatio et felix morborum  
eventus, mentionem iniiciunt. Laudant verbi  
gratia hoc respectu cephalalgiam, tinnitus au-  
rium, cetera. Displicent haec. Neque enim  
tantummodo habenda heic ratio est symptomati-  
tum, quibus nexa fuerunt et salivatio et felix  
morbi conversio, sed potius fontium, unde pro-  
manarunt ista symptomata. Ita verbi gratia  
solvi posset salivatione aurium tinnitus a seri  
congestione catarrhali obortus; sed multis ex  
aliis caussis enatum id symptomata salivationi  
non cedet. Itaque consultius erit, ad ipsas  
caussas animum intendere, quibus forte suc-  
currere possit salivatio, neglecta symptomatum  
morborumque, quos habent speciales, diver-  
sitate. Fatendum tamen est, circa hanc po-  
tissimum crisin, de qua his paginis differere con-  
stitui, multa subesse obscura, quae ipsam ra-  
tionem spectant, qua forte morbi solvantur hac  
via; neque alienum omnino esse, ipsos mor-  
bos speciales nominatim heic recensere, si qui-  
dem nempe ita comparati esse videantur, ut  
salivationem et ipsos hos morbos eorumve feli-  
cem

cem eventum propior nexus intercedat. Id quod verbi gratia dici forte potest de morbo variolofo. Neque reticendum est, sola symptomata digna esse, quae annotentur, ubi circa caussam, cuius respectu utilis fuit salivatio, nihil omnino certi quid constat. Licet tum *interim annotare*: hoc illove *symptomate* praesente salivam excretam esse in aegri salutem.

Passim iis, quae heic in votis et proxime dicta sunt, satisfacere studuerunt auctores. Ita verbi gratia Cl. CHEYNE omnibus morbis salvationem criticam competere inquit, qui fibrarum relaxationi debentur. Haec autem atque similia votis nostris non respondere, vix est, quod moneam.

### §. VI.

Morbi, qui omnium frequentissime solvi aut invari consueverunt salivatione, hi fere sunt quos nunc dicam. *Primum* locum tenent febres nervosae, *secundum* febres catarrhales, *tertium* sed rarius, febres putridae, *quartum* morbi

morbi oris interni et colli, passim quoque pectoris, stasi aut congestione serosa harum partium nxi. In aegritudine variolosa adulorum boni ominis itidem esse consuevit. Neque minus in universum succedanea subinde fuit excretio salutaris, ubi suppressa antea erat excretion per cutim. Simile quid annotatum invenies a veteribus. Ἀνιδρῶντες πτυεῖται παραγένονται πυρετώδει ἔοντι, ἐνήθεα (coac. praenot.) Passim quoque salivationem criticam morbis acutis supervenisse observabis tertia aut quarta demum hebdomate, ubi tamen, *qua ratione* in salutem aegri cesserit, non facile explicatus esses. Referam huius generis casus paulo inferius.

Quin etiam febres continuae eaeque epidemicae observatae fuerunt, haec ratione solitae. Praebet exemplum febris variolosa Sydenhami.

Praeter exspectationem et serius itidem supervenit salivatio critica morbis chronicis iisque partinacissimis, uti melancholiae (quem-

ad-



admodum observavit *William Perfect*) hemiplegiae etc.

In his vero atque similibus aegris valoris critici, quem salivationi concedere debemus, rationes obscurae quidem sunt; sed movent tamen suspicionem, in statu morboſo paſſim quoque ſyſtema lymphaticum violentas quasdam easque ſalutares mutationes moliri ceterum nobis obſcuras. An forte huic quoque paſſim per- tinent motus in hoc ſyſtemate retrogradi? Ita certe quaerendum eſſe ſentio, quamvis bene memor ſim et valvularum vaſorum abſorben- tiū, et monitorum, quae apud rećentiores paſſim occurruunt, eos potiſſimum, qui de no- viis libris (publicum dicam an privatissimum?) ferunt iudicium. Saepius enim legere licet, absurdā et noſtriſ temporib⁹ diu exploſa eſſe, quae hac de re monuit Cl. DARWIN. Res vero ipſa me quidem iudice longe aliter ſe ha- bet. Iudicant audaciter et strenue ubi ſub iu- dice adhuc lis eſt, Nos dubitamus.

Quod



Quod statum praevium spectat, ante salivationem criticam saepius observabilem; id unum addendum esse puto: huic itidem mutationi, uti metastasibus, subinde praevium esse *criticum* istum *torporem*, quem quidem *orgasmi* critici vices subinde gerere, animadversum est a recentioribus.

## §. VII.

Quoad signa salivationis vel criticae vel symptomaticae respiciendum est ad signa *generalia*, quae symptomaticas vel salutares excretiones spectant. Tum vero *seorsim* monendum est circa morbos acutos: salivationem vere criticam paulo diutius perdurare consueuisse, vires aegri potius adaugere quam frangere, atque ut plurimum quantitatem salivaе paulo largioreм excernere. Immo vero potissimum respiciendum est ad signa generalia, uti ad euphoriam quae salivationem subsequitur.

Quae vero mere symptomatica est, vel etiam in aegri pernitiem cedit salivatio, haud

raro



raro summa virium prostratione cognoscitur,  
 sive aliis iisque pernitiosis symptomatibus, quippe  
 quae malo, quod subest, primario minime  
 sublevato, superveniunt. Ita verbi gratia passim  
 sequuntur affectiones leipothymicae, hydropses,  
 summa virium prostratio aliaque huius generis  
 symptomata, praegresso subinde per plures  
 menses ptyalismo mere symptomatico. Cuius  
 itaque diagnosis petenda est **primum** ex sym-  
 ptomatibus, quae subsequuntur, quaeque mali  
 sunt ominis; *deinde* e caussis, quas eruere li-  
 cet ingenio propter res quae circumstant. Hisce  
 autem caussis adnumeranda veniunt **primum**  
 impedimenta circulationis, quippe quae con-  
 gestionem inducunt versus partes superiores  
 mere symptomaticam. Hac ratione verbi gra-  
 tia ptyalismum in animalibus subinde excitarunt  
 instituta venae iugularis deligatione. Simili,  
 non vero mechanica ratione, sed potius inter-  
 ventu spasmorum, ptyalismi induci videntur  
 apud hypochondriacos et phthisicos propter im-  
 pedimenta circulationis, quae vel in imo ven-  
 tre vel in thorace oboriuntur. *Deinde* irrita.

menta



menta passim sive localia sive consensualia cul-panda veniunt, excretione per vias salivae neutiquam removenda. Id quod verbi gratia in verminosis valet, sive in iis, quos bilis irri-tat vel quibus luxata est maxilla inferior, qui-que hac sive alia ratione irritationem patiuntur, ptyalismi symptomatici caussam. Denique huius loci destructio est partium, uti vulnera vel ulcerosae partium, quae huc spectant, solu-tiones.

### §. VIII.

Perpensa hac valoris critici diversitate, quem salivationi tribuere licet: facile quoque cognoscitur, qua varia ratione curanda veniat salivatio a medico artifice. Monenda heic ve-niunt generatim, quae dicam.

Mercurialibus remedii salivationem pro-ducere, ut aegritudo hac ratione solvatur, pro-positum sistit tantum non semper ambiguum at-que superfluum. Vbi enim non ipsa natura hac via in aegri salutem iam agit, huius generis sic dicta



dicta naturae imitatio semper fere ambiguum est artis conamen. Vbi vero arte inducta fuit haec excretio, minime tamen eo gradu semper critica fuit, quo visum est auctoribus. Saepe enim non nisi ad ultimos effectus pertinuit, ab aliis iisque salutaribus corporis mutationibus enatos. In nullo autem morborum genere adeo frequenter hanc excretionem efficacissimis remediis inducere, neque adeo liberaliter salivam movere studierunt medici quam quidem in morbis venereis. Quod quidem propositum maxime alienum esse a principiis huc pertinentibus, sequenti ratione demonstrari facile potest. *Primum* nempe casus certe rarissimi sunt, in quibus ab ipsa natura morbi venerei soluti fuerint salivatione spontanea. Iam vero imitationem mutationis criticae, ab ipsa natura saepissime institutae, multis difficultatibus premi constat. Quot nonne plures difficultates expectare licet circa mutationes naturae rarissimas vel dubias, artis tamen imitatione itidem inducendas? Istius autem generis casus aderari sunt, ut multos medicos recentiores dubitare

tare videoas, quin unquam extiterint. Et certe dubios esse haud nego: partim quod dubitationi superest locus circa originem mali venereum, partim quod difficillimum est demonstrare; salivationem id ipsum fuisse, quod morbum solvit. „Sonst, inquit Cl. MELLIN (practische materia medica Frankfurt 1789. pag. 136) müsten Beispiele vorhanden sein wo „ein freiwilliger Speichelstuss die Lustseuche „gehoben.“ Vtitur hoc quinto argumento salvationi adverso; quod itaque pro dictis, quae circumstant, hoc significat: „Sonst müste ein „Beispiel vorhanden sein, dass ein freiwilliger „Speichelstuss warhaft venerische Krankheiten „entschieden habe.“ Relatum observabis huius generis exemplum de ophthalmia venerea in Giornale di Medicina II 193. Notatu dignum sane est exemplum, neque tamen dictis adversum. Secundo autem loco monendum est, multifarios sane effectus eosque per varias corporis partes longe lateque facile induci a mercurialibus. Hinc igitur si a salvatione discesseris, multis quoque aliis mutationibus prodeesse possunt.

Fac-



Taceo, quae longe plura sunt huius generis argumenta, uti molestias salivationis aliaque.

Iisdem remediis haud raro pertinacissimi morbi methodo *magis empirica* passim sanati sunt, uti hydrocephalus internus, tetani, aliaque. Sed haec et similia ad *methodum rationalem*, sive, ut magis speciatim dicam, ad *imitationem naturae scientificam* referri non posse, est in propositulo. Hinc igitur ipsa salivatio vere critica mercurialibus inducenda, finem medici propositum rarissime absolvit. *Sequitur* autem vel *comitatur* medici proposita alias generis, uti mutationes in systemate lymphatico obtainendas, aliaque.

### §. IX.

Sed promovendo salivationem, quae in aegri salutem *ab ipsa natura* instituitur, multo frequentius et manifesto aegris prodeesse poteris. Quae enim olim in usu fuerunt curationes mercuriales per summas, ut ita dicam, ambages, systemate nempe lymphatico multisque aliis cor-

B

poris



poris partibus mirifice turbatis, excretionem in ore tandem inducebant, quam demum mutationem habebant vere salutarem, morbumque solventem; et cuius itaque gratia alias mutationes corporis antecedere debere existimabant. Hinc salivationem promovere et magnam salivae, quam ipso miasmate venereo scatere putabant, quantitatem excernere non dubitarunt. Quod quidem medicinae hodiernae consentaneum non esse, inter omnes iam constat. Sed longe aliter res sese habebit, ubi spontanea est eaque vere critica salivatio, vel ubi remediis utimur simplicioribus, quippe quae non adeo multifarios edunt effectus, uti iis, qui vel solas oris interni partes irritando salivam movent.

Itaque salivationem inducere vel promovere maxime congruum erit, ubi vel ipsa natura hac ratione aegrum sublevare velle videatur, vel remedia leniora in hunc usum sufficiunt, vel certe, si mercurialibus opus sit, reliquis corporis partibus non sint adversa, et ipsa tamen salivatione aegri salus promoveri possit.

§. X.



## §. X.

Remediis, quae salivam movent, adnume-  
randa veniunt; si ab ipsa manducatione dis-  
cesseris, quippe quam itidem huc facere con-  
stat, *primum*: remedia quae emolliunt fibras,  
quaequae in ipso ore vel circa collum applican-  
tur. (Vapores emollientes, gargarismata, in-  
jectiones, cataplasma, et fatus ex herbis sic  
dictis emollientibus etc.) Simplex huius gene-  
ris auxilium in acutis utplurimum sufficit, ac-  
cedente potu largiori; eoque magis utendum  
hoc est, quo magis animadvertere licet statum  
partium inflammatorum, tensionem fibrarum,  
siccitatem, similia. Faciunt huc *deinde*, quae  
os internum irritando salivam movent, et qui-  
bus sive ad masticationem, sive sub forma va-  
porum vel gargarismatum uti consuevimus.  
Acriora tamen non nisi in statu feroso et frigido  
adhibenda esse facile liquet. (Semen sinapis  
cum aceto et aqua et melle; herba tabaci, bac-  
cae iuniperi; vel leniora, uti infusum sambuci  
cum aceto aliaque mirifice multa.) *Tertio* lo-  
co seorsim nominari merentur emetica, qua-

tenuis refracta dosi et forma fluida aegro propinuantur ad nauseam usque. *Quartum* locum sibi vindicant mercurialia, quibus tamen prae ceteris caute utendum est. Est vero huius potissimum loci methodus, quam uberius descriperunt Cl. CLARE et CRUIKSHANK, quippe quae primis viis potissimum parcer. Neque minus tamen alibi in hunc finem adhibere licet internum mercurii usum. Ita verbi gratia Cl. *Perfect* aegro, cuius historiam paulo inferius iterum laudabo, pillulas propinabat, e mercurio dulci et conserva rosarum paratas,

### §. XI.

Accedat vero his omnibus oportet congruum vitae regimen. Id quod solum saepissime sufficit, insprimisque in morbis acutis. Itaque curam habere decet aegri decubitus, qui excretionem salivae rite moveat, potus tepidi, omniumque, quae vel nimiam salivae excretionem inducere vel eidem impedimento esse possent, adeoque sedulo evitanda veniunt. Ita verbi gratia impediri posset salivatio refrigerio, animi



animi pathematibus, in primisque terrore, excretionibus nimis, uti diarrhoea, somno nimis longo, mutationibus forte quibusdam nexo, quae in statu vigilantis facilius superantur. Saepius enim observatum est, somno impeditam fuisse salvationem. Id quod explicari poterit partim ex mutationibus, quas proxime tetigi, partim vero e causa communis, quae et coma (praeter naturale) et salvationis impedimenta simul induxisse mihi videtur.

### §. XII.

Salivatio ceterum salutaris socias tamen vel pedis equas habere solet quasdam mutations, aegro molestas vel noxias, et quibus igitur sive arcendis sive leniendis operam navare poterit medicus artifex. Pertinent huc *prium* excoriatio partium, denudatio, ulceræ, aphthæ, similia. Id quod saepius observare licet in febribus nervosis, ptyalismo per plures dies perdurante. His autem, uti quoque molestiis ab intumescentia glandularum subdolorifica oriundis, bene prospiciunt remedia mucilaginosa,



ginosa, nexo usu boracis. *Deinde* salivationis duratio nimis longa sua quoque remedia poscit. Debilitati partium debetur. Opus itaque est remediis roborantibus, parti relaxatae admonendis. *Tum* itidem peccare potest salivatio ceterum salutaris nimia, quae profluit, saliva quantitate. Molestiae hinc oriundae mitigari possunt temperando paullulum naturae motus. Quod quidem moliri licet, pro rebus, quae circumstant, vel remediis leniter diureticis vel diapnoicis, vel antiphlogisticis laxantibus, vel denique vesicatoriis ad nucham admotis. Seorsim tamen monendum est, in ea ptyalismi specie, quae propter abusum mercurialium modum excedit, praeprimis cavendum esse ab usu laxantium fortiorum, quippe quae facile enormem caussantur diarrhoeam, nullo remediorum genere facile compescendam. Omnis enim, ut ita dicam, mercurii vis ad intestina in hoc casu verti videtur.

## §. XIII.

Suppresso autem vel nimis parco ptyalis-  
mo, ceterum salutari: ad cauſam animadver-  
tendum est, quae ſalivationem turbasse videtur.  
Hac enim, quantum fieri potest, remota, vel  
alia curatione eidem prudenter opposita, tunc  
demum remediis utimur, quae propius faciunt  
ad promovendam ſalivae excretionem, quaeque  
laudata fuerunt ſuperius.

His cauſis adnumeranda veniunt: potus  
nimis frigidi; defectus fluidorum vel nimis par-  
ca eorundem copia; ſalivae vel muci visciditas  
ex ipſo excretionis modo vel ipſis excretis  
paſſim cognoscenda; ſpasini e variis cauſis ena-  
ti, excretiones alijs generis immodicae, uti  
per alvum, aliaque. Itaque paſſim uti decet  
potu tepido, remediis resolventibus, uti ſale  
ammoniaco et oxymelle squillitico; remediis  
antispasmodicis, alijsve quae ipſis ſpasmorum  
cauſis opponi poſſunt.

## §. XIV.



## §. XIV.

Ast ubi modum excedit salivatio, vel mere est symptomatica vel denique in ipsam aegri pernitiem cedit, quamvis quidem modum non manifesto excedat: tria potissimum locum habent remediorum genera. Ante omnia nempe investigandum est, quid sit, quod hanc ptyalismi speciem induxit? Pro diversitate enim huius generis caussarum varia opponenda veniunt remedia, caussis nempe ptyalismi specialibus opposita. Aliud enim est salivam moveri a bile, aliud a vermis, aliud a mercuriali- bus et sic porro. Tum aliis potissimum excretionibus temperare licet salivationem immodicam, in primisque remediis diapnoicis vel leniter laxantibus. Denique autem organis; quae salivae fecernendae vel excernendae inserviunt, prospiciendum est remediis roborantibus, uti herba salviae, alumine, cortice peruviano similibusve.

## §. XVI.



## §. XV.

Quid autem faciat excretio salivae ad statum sanum, disputare vix licet. Sana enim saliva non omnino secundum naturam excerni videtur. Nihilominus tamen in iis, qui fumo tabaci uti consueverant atque ab hac consuetudine subito remiserant, morbos colli haud raro enatos suisse constat. Hinc certe liquet, excretiones, quamvis non omnino naturales, siquidem in consuetudinem abierint, reliquam corporis oeconomiam ita mutare, ut nunc fere considerandae veniant veluti excretiones naturales. Est quoque huius loci, quod observavit Cl. R V Y C H. Is nempe sanitatem feminae phthisicae simplici consilio, ut a saliva excretione voluntaria, cui diu indulserat, omnino abstineret, restituebat.

## §. XVI.

Notatu itidem dignum est, salivationem subinde in morbis sub primo eorundem initio bene praeverti potuisse, tum vero sub decursu aegritudinis adeo necessariam excretionem ab-

sol-

solvisse, ut sine eadem restitui non potuerit aeger. Id quod exempla docent paulo inferius laudanda. Neque minus est memorabile, ptyalismum, quamvis morbum non solvat, vario tamen gradu aegros passim sublevare: quamvis saepe obscurum sit, qua demum ratione sive haec sive alia commoda aegris praestiterit.

Est huius loci exemplum solemne, quod prodidit memoriae Cl. VEIRAC de febre epidemica biliosa et salivatione veluti symptomate critico nixa. Praegressa nempe intumescens-  
tia circa glandulas colli, gingivas atque tonsillas intra diem aegritudinis octavum et decimum secundum ptyalismus comparebat, quo forte potu frigido aliisve caussis suppresso, symptoma superveniebant pessimi ominis. Quin etiam ptyalismo non restituto mortis periculum instabat. Unum huius generis aegrum tentabat haemoptisis, quam sequebatur suffocatio. Ipsa natura sudorem subinde moliebatur, sed frustra; sequebatur enim major virium prostratio vitae-que periculum. In nonnullis, qui aegritudi-  
nem



nem epidemicam levius experiebantur, usus remediorum evacuantium sub primo morbi initio sufficiebat; neque ideo in his necessaria erat salivatio. Ast ubi gravius malum erat, vel neglecta primarum viarum excretio, tres indicationes in hac aegritudine epidemica persequi opportebat. **Primum** nempe caute ciendus erat vomitus, quin etiam pro re nata repetendus. **Tum** salivatio remedii topicis conservanda, **denique** autem ad finem morbi salivae excretio iterum temperanda veniebat. Ad finem enim morbi ptyalismo passim immodico vel nimis diu perduranti febris superveniebat phthisica. A laxantibus fortioribus in summam aegri perniciem diarrhoea sequebatur enormis. Salivatione enim inde suppressa, omnis spes evanescebat sanitatis recuperandae. Neque minus perniciosus erat eventus, ubi salivationem nimis cito sistebant arte'; hinc congruum erat, febris tabidae primos insultus exspectare atque tandem praescribere corticem peruvianum. Salivationi tamen finem arte imponere licebat, ubi propter solam partiem debilitatem perdu-

rare



rare videbatur. Cuius quidem rei signa habebantur pulsus exigui ceterum tamen naturales et minime febribles, lingua bene rubra, appetitus ciborum, symptomata reliqua mala per dies iam jam viginti quatuor quin longius non amplius conspicua, Ad sistendam autem hanc salivationem in usum vocabat Cl. VEIRAC garagismata adstringentia, e terra verbi gratia iaponica, gummi arabico, spiritu salis dulci et floribus atque cortice granatorum parata; clysmata alvum leniter moventia; radicem contrayervae atque fomenta scopo diapnoico. Corticis autem peruviani usum internum non prius admittebat, quam glandulae salivales congectioni humorum pro sua sententia resistere valebant. Alias enim, uti addit, ptyalismus perdurabat atque frustraneus erat remediiorum roborantium usus.

### §. XVII.

Non minus est memorabilis aegritudo pneumonica, quam salivatione solutam vidit Cl. NAHUVS. Quin simile tulit auxilium in hoc

hoc casu ptalismus, cum secunda vice eadem  
aegritudo eandem aegram corriperet. Accedit,  
quod aegra arthritite et ischuria perquam do-  
lorifica antea laboraverit, quibus succurren-  
dum fuerat remediis antiphlogisticis et applica-  
tione catheteris. Tum praegresso terrore subi-  
to incidit in peripneumoniam graviorem. Venae  
sectio, nonies sub progressu morbi repetita,  
cataplasma emollientia, vesicatoria inter sca-  
pulas, vapores ex aqua calida et aceto simi-  
liaque in usum vocabantur. Nihilominus ta-  
men post quatuor hebdomates symptomata mor-  
bi essentialia nondum evanuerant. Quereba-  
tur enim nunc adhuc aegra de anxietate circa  
pectus, cui nexa erant tussis, sputa non cocta,  
febris manifesta, inflammatio itidem colli, a-  
grypnia, passim deliria. Hinc certe jure ex-  
spectabant malam aegritudinis conversionem,  
five per mortem, five per supurationem, five  
denique, quod prae ceteris veri simile videbatur,  
per indurationem pulmonum. Quarto die Fe-  
bruarii sensus quidam anxietatis circa pectus  
prima vice comparuerat. Iam die nono Mar-



tii intumescens conficiebatur collis et subsequente nocte salivatio, qua intra horas duodecim vas satis amplum replebatur saliva. Vrina antea semper rubicunda nunc colorem subflavum prodebat et sedimentum in dies largius subsedens. Salivationem protinus excepereat euphoria, aegraque sub initio mensis Aprilis, quo tempore tandem finita erat salivatio, optime fese habebat. Tum vero animi pathemate, nempe terrore, admisso, eadem fere symptomata redibant: febris, respiratio anxia, tussis etc. Iam promovere studebant arte, quod antea in salutem aegri ab ipsa natura institutum fuisse observaverant. Salivatione igitur per aliquot dies promota, insolitam recuperabat haec aegra sanitatis gradum. A doloribus enim, quos olim propter calculos atque arthrititem persessa fuerat, inde ab hoc tempore fere omnino libera remansit.

Miratur certe auctor huius historiae iure meritoque virium naturae actionem; neque

que sane frequentes sunt huius generis casus, salivationis volo criticae, febrem peri-pneumonicam adeo feliciter solventis. Neque reticendum esse puto, quod hoc loco in mentem venit: statum nempe arthriticum huius forte solutionis participem fuisse. In his enim morbis salivationem arenulosam criticam subinde fuisse constat. Vtique autem haec omnia sese habeant, ipse tamen casus, quem ideo uberiori exposui, notatus dignissimus est, quamvis non ita omnino unicus habendus esse videatur qualem eundem descripsit Cl. auctor. Similem verbi gratia invenies apud Cl. STACK \*). Subsequebatur certe in hoc aegro post usum pulveris carthusianorum granorum viginti quatuor salivatio per quatuor dies perdurans, qua aeger peripneumonia vehementissima correptus febre liberabatur praeter omnem exspectationem, quamvis superstite virium insigni prostratione. Quem quidem effectum (salivationem volo) a dicto

reme-

\*) R. W. STACKS *medizinische Fälle*, Stendal 1788  
pag. 5 bis 11.



remedio repetere non placet, quamvis negare non velim, conditiones forte inde remotas fuisse, quibus praesentibus natura non adeo felices motus edere potuisset.

Sunt plures huius generis casus. Neque vero aliud quid evincunt nisi id, quod religiose omnes boni medici artifices fateri ac venerari consueverunt, virium nempe naturae conamina in aegrorum salutem. —

THESES.





# T H E S S.

---

## I.

Pollutiones quasdam nocturnas ad  
*naturales* viri excretiones referendas esse  
arbitror.

## II.

Ne *aegris* quidem denegandum est  
variolarum infisionis *beneficium*.

## C

## III.

## III.

Senectutis spes minus affulget virgini-  
nibus quam feminis nuptis.

## IV.

Mercurius phosphoratus reliquis praeparatis mercurialibus anteponendus non  
est in curanda lue venerea.

## V.

Praefstat neonatis lac matris vel nutriticis denegare, quam propinare, nisi matris vel nutriticis status medici votis satis exacte respondeat.

## VI.

## VI.

Quae hucusque dicta et scripta sunt  
a medicis circa periculum sepulturae su-  
perstite vita, generi humano plus detri-  
menti hucusque attulit quam utilitatis.

## VII.

Mercurii sublimati corrosivi usus in  
lue venerea rejiciendus non est.

## VIII.

Motus retrogradus in systemate lym-  
phatico nondum ita refutatus est certis ar-  
gumentis, uti recentioribus quibusdam vi-  
detur.

## IX.



## IX.

Partes corporis humani, quae in sinistro latere positae sunt, saepius aegrotare videntur quam quae in dextro.

## X.

Ganglia nervorum motus voluntarios temperare, recentioribus quibusdam placuisse constat. Quam quidem hypothesin falsam esse puto. Esse vero huius generis organa, quae huic functioni inserviunt in corpore humano, certum habeo et notatum dignum.

## XI.

## XI.

Inflammatio pancreatis fluxus coeliaci causa proxima haberi non potest.

## XII.

Ligamentum hepatis suspensorium non est suspensorium.

## XIII.

Valvula sic dicta Bauhini dicenda est valvula Fallopii.

## XIV.

Sine philosophia claudicat medicina.

## XV.



## XV.

Sine medicina claudicat philosophia.





1618

pica



2

11



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

D E

SALIVATIONIS  
VALORE CRITICO.

CONSENS

PHIL.

MED. DO

INSTI

GRAD V

DIE

S A T

T Y

8

x-rite colorchecker CLASSIC

